



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

X. [Diluitur argumentum Quartum.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)

CAPVT X.

Diluitur argumentum Quartum.

VARTVM argumentum. Generare est summa perfectio in viuente: hanc autem perfectionem Pater habet, Filius non habet; nõ igitur est Filius æqualis Patri. Proinde non sunt eiusdem nature Pater & Filius. Et quod inde sequitur, non sunt plures personæ eiusdem essentiæ in Deo. & confirmatur; quia productum dicit intrinsecè dependentiam ab alio, & posterius est eo, à quo producitur, si non tempore, certè natura. at verus Deus est ens ex se indepèdens, & necessarium, & nulla re posterius, igitur Filius non est verus Deus, cùm sit productus, & à Patre in esse dependeat.

RESPONDEO, generare dicere perfectionem, sed minimè eam deesse Filio. Est enim in Filio omnis perfectio actiua generationis, licet ipsa actiua generatio in Filio non sit, quia non est opus: nam omnem perfectionem, quam habet generatio, ab essentia habet, essentiam autem totam etiam Filius habet, id quod facilius intelliget, qui obseruauerit, quod sicut principium quo generationis actiua, est essentia diuina, & ideo generatio actiua est infinitæ perfectionis: ita terminus quo generationis passiua, est essentia diuina, & ideo illa etiam infinitæ perfectionis, immò eiusdem profus infinitæ perfectionis est.

DICES, si terminus quo generationis diuina, est essentia, ergo essentia generatur saltè per accidens. RESPONDEO, nullam esse consequentiam, nam in creaturis natura, quæ est terminus, quo per accidens generatur, quia non communi- catur natura Filio eadem numero cum ea, quæ in Patre, sed alia quædam noua, quæ quia, nisi producat, non est, ideo producitur, vt cõmunicari possit: At essentia diuina vna numero est in Patre, & communicatur Filio, ideo per generationem minimè producitur.

Ad confirmationem respondeo, in creaturis dependere Filium à Patre, quia accipit aliam numero naturam ab illa, quam habet Pater: in diuinis autem nõ esse eiusmodi dependentiam, quia eadem natura, quæ ex se est simpliciter indepèdens, communicatur à Patre Filio, idque naturaliter & necessa-


necessa-

necessariò. Vnde solùm est relatio mutua Patris ad Filium & contrà, sed sine vlla dependentia in esse.

Pari ratione negandum est, omne productum necessariò esse posterius. Solùm enim productio per se requirit ordinem inter producentem, & productum, sed non prioritatem, nisi per accidens in creaturis, vbi noua natura ex nouo esse deducitur ad esse. At inter personas diuinas non potest esse vlla esse prioritas, & posterioritas, cùm nihil habeant inter personarum, nisi essentiam & relationem, & essentia sit vna, & eadem in omnibus: relationes autem id requirant, vt fuerint mutua natura.

CAPVT XI.

Diluitur argumentum Quintum.

„  VINTVM argumentum. Quando Filius genitus est, vel erat, vel non erat. Si erat, quare genitus est? Si non erat, ergo aliquando Filius non fuit: ergo non est verus Deus: ergo non sunt plures res personarum eiusdem essentiarum.

„ Item, vel Filius semper gignitur, vel semper est genitus, vel aliquando gignebatur, & aliquando fuit genitus: si semper gignitur, nunquam terminum & perfectionem viam in se assequetur; si semper fuit genitus, quo pacto ad terminum sine via peruenit? si aliquando gignebatur, & aliquando fuit genitus: non semper eodem modo se habuit, sed mutatur est. Quæ omnia absurda sunt in Deo: non igitur in Deo plures res personarum asserendæ sunt.

„ Item, vel Filius præfuit in Patre actu, vel potentia, vel in alio modo; si actu, ergo fuit antequam gigneretur; si potentia, ergo in Deo est potentia passiva; si nullo modo, ergo ex nihilo factus est.

Respondeo ad rationem PRIMAM cum BASILIO in Eunomium: negandum esse Filium fuisse antequam gigneretur, & concedendum fuisse cùm gigneretur. nec sequitur, frustra genitum esse. Id enim frustra fieret, inuoluntate posset fieri, quod esset antequam fieret. Quod autem est factum, non frustra fit. certè in rebus creatis momenta temporum & sunt cùm fiunt, & fiunt cùm sunt. Nec etiam sequitur